


INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.



TRACTATUS

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.



EUCHARISTIA, a verbo graeco idem significante ac *gratiarum actio*, sic dicta, est ineffabile mysterium in quo Salvator noster Dominus divitias divini sui erga homines amoris effundit. Dicitur autem *Eucharistia* seu *gratiarum actio*, quia ad gratias Deo agendas destinata est. Appellatur etiam tum in Scriptura sacra, tum apud sanctos Patres, tum in liturgiis et in canonibus Ecclesiæ, *Panis vitæ*, *Panis dominicus*, *Panis Angelorum*, *Cæna Domini*, ex circumstantia in qua fuit instituta; *Communio*, quia illius ope fideles Christo, Ecclesiæ et sibi invicem uniuntur; *sacra Synaxis*, id est sacer cœtus, quia fideles in suis cœtibus divinam Eucharistiam accipere solebant. Vocabatur olim **AGAPE**, latine *dilectio*, quia est summum divini amoris erga nos argumentum. Dicitur etiam *Mysterium fidei*, *Mysteria tremenda*, *sacrosanctum Mysterium*, *Sancta sanctorum*, *Sacramentum altaris*, et frequentius *sanctissimum Sacramentum*, etc.

Eucharistia duplici modo spectari potest, scilicet, ut sacramentum et ut sacrificium. Itaque hujusce Tractatus duæ erunt partes.



UNAM
FONDO
A.B. PUBLICA DEL ESTADO

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRAMENTUM, SEU
DE SANCTISSIMO EUCHARISTIE SACRAMENTO.

Eucharistia sic spectata, recte defini potest, ut in Catechismo: *Sacramentum quod vere et realiter continet corpus, sanguinem, animam atque divinitatem Domini nostri Jesu Christi, sub speciebus vel apparentiis panis et vini.* Veritas hujus definitionis patebit ex dicendis.

Septem hujus partis Tractatus nostri erunt capita: primum, de illius sacramenti existentia et natura; secundum de illius materia; tertium, de illius forma; quartum, de illius ministro; quintum, de illius subjecto; sextum, de illius necessitate; septimum, de illius effectibus.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTI EUCHARISTIE EXISTENTIA ET NATURA.

Si excipiantur Sociniani et hodierni rationalistæ, qui proprie Christiani dici nequeunt et in Tractatibus *de Religione et de Ecclesia* confutantur, omnes catholici, schismatici et hæretici unanimiter docent Eucharistiam esse sacramentum. Hæc veritas nititur definitionibus Ecclesiæ, constanti traditione, testimoniis omnium Patrum ac doctorum, persuasione fidelium et ratione theologica: in Eucharistia enim reperiuntur conditiones sacramentum novæ Legis constituentes, videlicet signum sensibile a Christo modo permanenti institutum et promissio gratiæ. At circa naturam illius sacramenti non ita sibi consentiunt; quidam illud habentes ut signum realitate vacuum, alii ut præsentiam realem continens simul cum pane et vino, et alii præsentiam cum solis materiæ apparentiis. Itaque, seposita sacramenti hujus existentia ab adversariis admissa, in duplici articulo tractabimus 1º de præsentia reali, et 2º de modo illius præsentiae seu de transsubstantiatione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆSENTIA REALI CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Phantasiastæ, Valentiniani alique primorum sæculorum hæretici qui negabant Christum habere verum corpus humanum, vel animam, ut initio Tractatus *de Incarnatione* retulimus, eo ipso indirecte præsentiam realem negabant.

Alii directe eam negaverunt, videlicet, 1º Joannes Scott vel Scot, cognomento *Erigena*, a patria quæ erat Hibernia olim vocata *Erim* vel *Erin*. Venit in Galliam in nono sæculo, et a Carolo Calvo bene fuit acceptus, quia pro tempore videbatur doctus. Composuit librum de Eucharistia, nunc non exstantem, in quo totus erat ut persuaderet *hoc quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere Christi sanguinem esse, sed omnia hic speciei, non veritate*: sunt verba Ascelini monachi, in Epistola ad Berengarium, *Labbe*, t. 9. Fertur hunc auctorem obiisse circa annum 884, quidam dicunt in Gallia, et alii in Anglia. Liber ejus damnatus fuit in concilio Vercellensi, anno 1031, et Parisiensi, eodem tempore. Scott nullos discipulos reliquisse videtur.

2º Sub initio undecimi sæculi Berengarius, Turonensis, e parentibus divitiis et nobilitate conspicuis oriundus, celebris Fulberti Carnutensis fuit discipulus et magnos obtinuit progressus. Anno 1030 in patriam reversus, Scholasticus S. Martini Turonensis creatus, multos habuit discipulos, et, licet dignitate archidiaconi in ecclesia Andegavensi donatus, nihilominus apud S. Martinum docere perrexit. Postea ægre ferens non paucos e discipulis suis ad Lanfrancum, famosam tunc tenentem scholam in monasterio Beccensi prope Rothomagum, migrare, singulares cepit defendere opiniones quibus audientium attentionem ad se converteret; et scriptis *Erigenæ* Scott utens, mysterium præsentiae realis in Eucharistia negavit. Damnatus fuit et excommunicatus, anno 1050. a Leone IX, in concilio Romano, et eodem anno in con-

ciliis Vercellensi et Parisiensi. Anno 1055, errores suos ejuravit in concilio Turonensi; sed relapsus, rursus damnatus fuit a Nicolao II in concilio Romæ habito anno 1059: damnationi suæ subscripsit, scripta sua combussit, et tamen in Gallia reversus clamavit se non fuisse liberum et de novo eosdem sparsit errores. Tandem in alio concilio, anno 1078 Romæ, jubente Gregorio VII, celebrato, bona fide hæresim deseruit, in Galliam rediit, et octo ultimos vitæ suæ annos in parva insula S. Cosmi, prope Turones, pœnitentiam agens duxit.

3^o Petrus de Bruis, cujus sectatores dicti sunt Petro-brusiani, versus annum 1126 cœpit docere, in provincia Arelatensi, Christum dedisse quidem corpus suum et sanguinem in ultima cœna, sed nihil tale in Ecclesia fieri. Hæc refert Petrus Cluniacensis, Biblioth. Patrum, t. 22.

Quidam Henricus, præcipuus Petri de Bruis sectator, eandem hæresim docuit Tolosis, anno 1146, cui S. Bernardus sermonibus, scriptis et miraculis fortiter obstitit; discipuli ejus vocati sunt Henriciani.

4^o Quidam Valdenses et Wicelistas inter adversarios præsentia realis computaverunt; sed illustrissimus Bossuet probat eos errasse tantum circa ministrum, asserentes malum sacerdotem consecrare non posse, et circa mysterium transsubstantiationis.

5^o In decimo sexto sæculo *Carlostad*, discipulus Lutheri, deinde ipsius adversarius, *Zuingle*, *OEcopolampade* aliique Sacramentarii et Calvinistæ præsentiam realem aperte negaverunt, contententes verba Christi, *Hoc est corpus meum*, sensu metaphorico intelligenda esse, pro figura corporis. Cum objiceretur hæc verba esse absoluta et nihil indicare in contextu ea ad metaphoram esse convertenda, *Zuingle* refert sibi responsum ad hanc objectionem quærenti, quadam nocte, *nescit quem*, astitisse, *ater, an albus fuerit, nihil meminit, qui moneret verbum est*, in propositione Christi, eodem sensu accipiendum esse ac in textu Exodi, XII, 11, *Est enim phase (id est transitus) Domini*.

Calvinus autem vim Scripturæ et traditionis triplici

effugio præsertim conatus est eludere: 1^o dicendo cum *Zuingle* verbum *est* idem sonare ac *significat* aut *figurat*; 2^o corpus Christi licet tantum distet ab Eucharistia quantum cœlum a terra, manducari per fidem, quia fidelis credendo illud attrahit et reddit præsens; 3^o corpus Christi aliquam virtutem e cœlo diffundere in animam communicantis.

Contra hos omnes stabiliendum est dogma catholicum,

PROPOSITIO.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum continet vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum.

Hæc verba expressam continent definitionem concilii Tridentini quæ de verbo ad verbum sic habetur, sess. 13, can. 1: « Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ » sacramento contineri vere, realiter et substantialiter » corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Do- » mini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, » sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figu- » ra, aut virtute; anathema sit. »

Patet sanctam synodum triplex Calvinii effugium hac definitione præcludere voluisse. Nostra igitur propositio est de fide catholica; insuper, probatur Scriptura sacra, traditione et præscriptione. Inter verba Scripturæ, alia promissionem Eucharistiæ respiciunt, alia ejus institutionem, et alia usum. Juvat illud dogma venerandum et maximi momenti fusius probare per argumenta petita 1^o ex promissione, 2^o ex institutione, 3^o ex usu Eucharistiæ; 4^o ex traditione; 5^o ex præscriptione.

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Ex verbis Christi promissionem Eucharistiæ respicientibus petitur.*

Hæc promissio reperitur in ultima parte capituli VI Evangelii secundum Joannem, a v. 52; omnes quippe fatentur in initio capituli, usque ad v. 25, sermonem esse de ingenti miraculo multiplicationis panum, quibus quinque millia

hominum saturati sunt; qua occasione Christus hortatur Judæos ut præstantiorem appetant cibum qui non perit, *sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius dabit vobis*. Postea, in secunda parte, commendat fidem ut conditionem ad obtinendum hunc cibum; tunc seipsum designat ut panem vitæ, ut panem cœlestem, ad quem suscipiendum fides requiritur. Cum is solus qui Deus est, possit talem cibum, videlicet cibum Eucharisticum promittere et præbere, fides in ejus divinitatem necessaria est. Ideo eam firmiter inculcare nititur et simul qualitates mirabilis cibi sic promissi exponit. Deinde, *ꝑ. 52, addit:*

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Liti- gabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.... Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.

Ut ex illo textu solidum deducatur argumentum in gratiam propositionis nostræ, duo sufficiunt, scilicet 1º quod in illo de Eucharistia agatur, et 2º quod in Eucharistia caro et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter tradantur: atqui hæc duo certa sunt.

1º In illo textu agitur de Eucharistia. Nam 1º series contextus ad hunc sensum naturaliter deducit: Christus siquidem ex pane corporeo, vitam perituram sustentante, animas Judæorum ad vitam æternam erigit; de cibo eam

vitam præstante loquitur, et fidem ad hunc cibum percipiendum valde commendat: deinde ineffabilem promittit corporis sui manducationem. 2º Fatentibus adversariis, tres alii Evangelistæ institutionem Eucharistiæ referunt: incredibile esset S. Joannem de tanto mysterio nihil dixisse: attamen nihil de illo dixisset si præcedentia verba de sacramento Eucharistiæ non intelligerentur. 3º Christus præcipua vitæ suæ facta aut mysteria prænuntiare solebat, ut discipulos ad ea credenda præpararet: sic prænuntiavit sua opprobria, mortem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti effusionem, Baptismi institutionem, infalibilem Ecclesiæ auctoritatem: præsumendum est ergo illum augustissimi Eucharistiæ sacramenti institutionem annuntiasse, et S. Joannem, ultimo scribentem, de hujusce mysterii institutione apud tres alios Evangelistas relata siluisse, ejus vero promissionem retulisse. 4º Inter sermonem Evangelistarum Eucharistiæ institutionem describentium et sermonem apud S. Joannem relatam magna est similitudo; utrinque eadem est cibi et potus, corporis et sanguinis distinctio, eadem dicendi forma. 5º Verba quibus utitur Christus aliquid futurum et magni momenti indicant: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: at si fidem in seipsum tantum exprimere voluisset, aliquid futurum non indicasset, nec verbis realitatem sic experimentibus usus fuisset. 6º Omnes SS. Patres Græci et Latini, Ecclesiæ doctores, Scripturæ interpretes et theologo prædicta verba intellexerunt de Eucharistia. « Nemini » enim fere auctori, bono malove, ante Lutherum, venit » in mentem ut diceret in hoc loco de Eucharistia non » agere, » inquit *Maldonat*; deinde plus quam triginta citat Patres vel antiquos doctores. 7º Item concilia Ephesinum, *Labbe*, t. 3, Nicænum II, *ibid.* t. 7, Trid., sess. 13, cap. 2, et multa concilia particularia quædam verba ex dicto S. Joannis capite deprompta Eucharistiæ applicant. 8º Plures auctores protestantes, sola textus evidentia ducti, confessi sunt prædicta S. Joannis verba intelligenda esse de Eucharistia: sic *Sherlock, Jérémie, Taylor, Tittman, Tholuck*. Ergo 1º.

2^o Hæc verba, de Eucharistia intellecta, veram, realem et substantialem carnis et sanguinis Christi manducationem expriment; sic enim 1^o Patres et concilia citata ea accipiunt, eaque alio sensu accipi posse nunquam aestimaverunt. 2^o Verba Christi sensu obvio accepta manducationem realem significant; quod adeo verum est, ut Judæi et ipsi discipuli ea sic acceperint, scandalizati fuerint et multi abierint. 3^o Si Christus manducationem realem exprimere nolisset, videns Judæos et discipulos propter duritiam sermonis scandalizatos, errorem eorum corrigere debuisset, dicendo sua verba sensu metaphorico, de manducatione per fidem, intelligenda esse: sic in aliis circumstantiis agere consuevit, quando vidit sua verba metaphorica in sensu litterali accipi; hic, e contra, nedum auditores ab errore reducat, eos in persuasionem accepta magis ac magis confirmat, dicens: *Hoc vos scandalizat?* id est, ut interpretatur *Maldonat*, hoc credere non potestis dum me videtis, quomodo ergo credetis cum rediero ad Patrem et amplius me non videbitis? et ad Apostolos: *Numquid et vos vultis abire?* 4^o Advertunt auctores, et præsertim DD. *Wiseman* (*Conférences sur le Protestantisme*), verba manducare *carnes*, figurative accepta, semper usurpata fuisse apud Hebræos in sensu odioso: ea igitur Christus non adhibuisset, nisi sensum realem exprimere voluisset. 5^o S. Joannes Evangelium suum scripsit ad probandum, contra *Phantasticos*, Christum verum habuisse corpus: scopum intentum optime attingit loquendo de manducatione reali, minime vero si de manducatione in figura locutus fuisset. Ergo 5^o. Aliunde, etc. Ergo, etc.

Notandum tamen, præter Calvinistas, nonnullos catholicos, ut *Gabrielem*, *Cajetanum*, *Trapper*, *Jansenium Gandensem*, tertiam capituli VI S. Joannis partem interpretatos esse de fide, ut facilius refellerent Hussitas et Lutheranos, communionem sub utraque specie jure divino necessariam esse probare nitentes, ex his Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Licet hi erraverint, concilium tamen Tridentinum decretum contra communionem

sub utraque specie ita composuit, ut ees non attingeret. Vide *Pallav.*, l. 17, cap. 11.

ARGUMENTUM SECUNDUM. — *Ex verbis institutionis Eucharistiae petitur.*

Institutionem divini illius sacramenti sic refert S. *Matthæus*, xxxvi, 26: *Cœnantibus eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Illa institutio iisdem ferme verbis refertur a S. *Marco*, xiv, 22; a S. *Luca*, xxii, 19, et a S. *Paulo*, I Cor. xi, 24. Verba consecrationis panis sunt apud omnes: *Hoc est corpus meum*. S. *Lucas* addit: *Quod pro vobis datur*; et *Apostolus*: *Quod pro vobis tradetur*, in textu græco *frangitur*. Verba consecrationis calicis sunt apud *Matth.* et *Marc.*: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis*, etc.; apud *Lucam*: *Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine qui pro vobis fundetur*, et apud B. *Paulum*: *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite*, etc.

Unde sic: Præcedentia verba sensu naturali accepta præsentiam realem expriment, ut ipsi Sacramentarii fatentur: atqui sensu naturali accipienda sunt. Nam 1^o verba Scripturæ semper intelligenda sunt sensu obvio et naturali, nisi aliquid ostendat ea sensu metaphorico esse accipienda, alioquin nihil esset certum: porro in contextu prædictorum verborum nihil ostendit ea sensu metaphorico accipienda esse. 2^o Quando adhibentur figuræ, necesse est ut signum rem exprimentam significet, vel ex natura sua, ut statua ad effigiem alienjus sculpta; vel ex usu recepto, v. g., sicut agnus significat Christum, vel ex loquendi modo aut ex contextu, exempli gratia: *Est enim phase, id est transitus Domini*, Exod. xii, 11; vel ex præmonitione loquentis, quia unusquisque sensum metaphorium vocis qua pro arbitrio utitur annexere potest, modo audientes de hac significatione admoveat, secus insipientes

ter loqueretur. Atqui panis et vinum neque ex natura sua, neque ex usu recepto, neque ex loquendi modo aut contextu, sunt figura corporis et sanguinis Christi, et Christus his utendo vocibus discipulos non monuit eas sensu metaphorico accipiendas esse: ergo dicendum esset Christum, cujus verba tantam simplicitatem et claritatem semper redolent, hic modo ambiguo et inintelligibili locutum fuisse. 3^o Metaphoræ ideo adhibentur ut qualitates alicujus rei clarius aut fortius exprimantur; v. g., dicitur de viro forti quod sit leo, id est habeat talem fortitudinem qualem habent leones: in metaphoris igitur necesse est ut terminus figurativus sit generalis, hinc Christus recte dixit generaliter: *Ego sum panis vitæ*, id est habeo relative ad vitam æternam eas qualitates quas panis materialis habet relative ad vitam corporalem; sed dicere non potuisset, aliquem ostendendo panem, *Ego sum hic panis*, quia tunc non designasset qualitatem, sed ipsam panis substantiam. Pariter dixit: *Ego sum vitis vera; Pater meus agricola est.... vos palmites*, Joan. xv, 1 et 5; non autem: *Hæc vitis, hic agricola, hi palmites*. Attamen dixit, ostendendo panem et vinum: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Ergo non adhibuit metaphoram. 4^o Christus, dicta proferens verba, sacramentum instituebat, juxta ipsos novatores, dogma fidei proponebat, legem condebat, testamentum conficiebat et ultimum vale discipulis suis dicebat: hujusmodi circumstantiæ exigebant ut aperte et simpliciter loqueretur. Equidem sic admirabiliter locutus est, si præsentiam realem expresserit; contra vero obscure et absurde, si quamquam præsentiam figurativam significare voluerit. 5^o Apostoli verba Christi de præsentia reali intellexerunt, ut patet relatione B. Pauli, I Cor. ii, 23 et seq., qui certe sensum figurativum indicare debuisset, si eum admittendum esse credidisset. 6^o Tota omnium ecclesiarum traditio, saltem usque ad Sacramentarios, præfata Christi verba in sensu naturali accepit, ut *infra ostendemus*.

Ipse Lutherus in Epist. ad Argentinenses, t. 7 operum ejus, aiebat: « Vellem quod posset aliquis mihi persuadere

» nihil esse in Eucharistia præter panem et vinum: magno
 » ille me beneficio devinciret. Jam sæpe gravibus curis in
 » hac materia desudavi, et videbam me hoc modo posse
 » Papatui incommodo esse. Verum ego me captum video,
 » nulla elabendi via relicta est, textus Evangelii nimis est
 » apertus. » Ergo.

Protestantes pauca hæc verba, *Hoc est corpus meum*, sensu figurativo explicare, aut in sensum a sensu catholico alienum detorquere volentes, in innumeras abierunt sententias diversas. Auctor quidam Lutheranus 80 numerat. Bellarminus, de Euch., l. 1, c. viii, refert anno 1577 prodiisse libellum in quo 200 jam numerabantur. Ex illo tempore quot aliæ prodierunt!

Inter recentiores quidam dicunt panem significare corpus Christi, quia cadaver est siccum; et vinum sanguinem, quia utrumque est rubri coloris; alii volunt corpus Christi vocatum esse panem pro nobis traditum, quia Christus in corpore suo pro nobis satisfecit sicque animas nostras sustentavit; alii vocem *corpus* intelligendam esse de Agno paschali de quo edidit Christus in signum novi fœderis; alii Christum illis verbis significasse quamdam susceptionem universæ doctrinæ morte sua confirmatæ; alii negant quidquam symbolis eucharisticis significari, etc. *Hampden, Kuinoël, Wenstein, Rosenmüller*, etc. Vide P. Perr.

Nihil proficiunt Sacramentarii varios allegando Scripturæ textus, in quibus verbum *esse* ponitur pro significare, v. g., *Septem boves pulchræ et septem spicæ, plenæ septem ubertatis anni sunt*, Gen. xli, 26; *Petra autem erat Christus*, I Cor. x, 4, etc., nam sensus metaphoricus ex contextu evidenter determinatur. Idem dicendum de textu jam citato: *Est enim phase Domini*; de quo insuper animadvertit *Rosenmüller* ipse in Hebræo legendum: *Est enim phase Domino*, quod omnem difficultatem aufert: intelligendum enim esset eo sensu, quasi *Hoc est pascha seu festum paschalis sacrum Domino*.

ARGUMENTUM TERTIUM. — *Ex usu Eucharistiæ desumptum.*

Modum divina Eucharistia utendi sic describit Aposto-

lus, I Cor. XI, 27, postquam institutionem hujus sacramenti retulit: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Supposita reali præsentia, ad sensum catholicorum, hæc verba sunt clara, gravia, sensu plena, ad ædificationem animæ conducentia: si vero corpus et sanguis Christi non accipiuntur in Eucharistia nisi in figura et per fidem, rationabilem non habent sensum. Quid enim significant verba manducare corpus vel bibere sanguinem indigne, reum esse corporis et sanguinis Domini, corpus Domini non discernere, id est, illud sicut cibos communes sumere, si tantummodo ibi adsit figura? Aliunde, cum, juxta Calvinistas, sola fides peccata remittat, vel sumens Eucharistiam habet fidem, vel non: si habet fidem, justitiam obtinet et indigne non manducat; si non habet fidem, corpus Christi nullo modo accipit, sed ad summum figuram ejus non sufficienter honorat: ergo proprie dici non potest eum corpus Christi indigne manducare, illius reum esse, etc. Ergo.

Firmum aliud deduci posset argumentum ex sequentibus ejusdem B. Pauli verbis, I Cor. x, 16, 17: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Optimum habent sensum hæc verba de præsentia reali intellecta, et ad fovendam pietatis affectionem valde idonea sunt; in sensum vero figurativum detorsa, sunt obscura et absurda. Ergo.

ARGUMENTUM QUARTUM. — *Ex traditione petitem.*

Quamvis Protestantes soli Scripturæ standum esse profiteantur, et traditionem sibi adversam contemnere soleant, conati sunt tamen Patres primorum sæculorum ad se trahere, ut probarent catholicos, præsentiam realem admittentes, a doctrina veterum recessisse. « Constat ve-

» tustos omnes scriptores qui totis quinque sæculis post » Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari, » inquit Calvinus in ultima admonitione ad Wesphalum. Hæc audax assertio impudens est mendacium. Si cuncta Patrum testimonia quæ præsentiam realem adstruunt referre vellemus, multo longiores essemus. Cum dogma præsentiæ realis ex natura sua sit popolare, supponi non potest aliquem ex SS. Patribus ignorasse quid Ecclesia suo tempore doceret, aut contra fidem ejus, nullis reclamantibus, scripsisse. Sufficit ergo unum aut alterum ex singulis sæculis in testimonium proferre.

Primo sæculo, S. Ignatius martyr, S. Petri discipulus, ab eo, post Evodium, Antiochensis ordinatus episcopus, et anno 116 circiter mortuus, Epist. ad Smyrnæos, n. 8, de quibusdam errantibus dicit: « Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam » carnem esse servatoris nostri Jesu Christi, qui pro peccatis nostris passus est, quem Pater sua benignitate suscitavit: » Cotel., t. 2, pag. 37.

Secundo sæculo, S. Justinus, in Apologia I ad imperatorem Antonium directa, anno 650, n. 66: « Neque enim » ut communem panem, neque ut communem potum, » ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro » factus Jesus Christus Salvator noster, et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa: sic etiam illam, in » qua per precem ipsius verba continentem gratiæ actæ » sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per » mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis quæ vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt, eum scilicet accepto pane, cum gratias » egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem: » hoc est corpus meum;* et poculo similiter accepto, actis » que gratias, dixisse: *Hic est sanguis meus,* ipsisque solis » tradidisse. » Panis et vinum eo modo, per verba Christo determinata fiunt corpus et sanguis Christi, quo per verbum Dei caro factus est Salvator noster: atqui Salvator noster non factus est caro metaphorice: ergo.

Libro de Resurrectione carnis, cap. 8, idem Tertull. sic habet : « Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecratur; caro signatur, ut et anima muniatur.... caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. » Si Christus figurate tantum esset in Eucharistia, certe dici non posset carnem corpore et sanguine Christi vesci. Præterea caro realiter abluitur, ungitur, signatur, etc. Ergo in cogitatione Tertulliani, et realiter corpus et sanguinem Christi suscipit.

Eodem sæculo, S. Cypr., Epist. x, aliquos reprehendens presbyteros qui, ad preces martyrum et confessorum, veniam facilius lapsis concedebant, ait : « Illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam penitentiam, ante exomologesim.... offerre pro illis et Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant, cum scriptum sit : *Qui edet panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* »

Quarto sæculo habentur testimonia concilii Nicæni I, prohibentis, can. 64, diaconis ne corpus Christi presbyteris porrigant. S. Greg. Nyssenus, Catechetica oratione, cap. 37, ait, post comparationem inter corpus Verbi Incarnati, et corpus Christi in Eucharistia : « Et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei et orationem, non eo quidem quod cibo mediante in Verbi corpus evadat, sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est a Verbo, *Hoc est corpus meum.* »

S. Cyrillus Hierosol., anno 386 defunctus, Catechesi 4 mystagogica : « Cum igitur ipse Christus pronuntiaverit et dixerit de pane, *Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? et cum ipse asseveraverit et dixerit, *Hic est sanguis meus*, quis unquam dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galileæ transmutavit, et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit? Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit; et non

» eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur? Quare cum omni persuasione tanquam corpus et sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie vini datur tibi corpus, et sub specie vini datur tibi sanguis; ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi concorporeus et consanguis ipsi efficiaris : sic etenim Christiferi efficiamur, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine. » Adeo clarus est ille textus, ut nulla explicatione indigeat : ideirco illum in aliqua extensione referendum censuimus. Melius adhuc tota Catechesis legeretur.

Quinto sæculo, S. Ambros., lib. de Mysteriis, cap. 9, n. 54 : « Ipse clamat Dominus Jesus : *Hoc est corpus meum.* » Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem, aliud dicitur; post consecrationem, sanguis nuncupatur. Et tu dicitis : Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat. »

S. Chrysost., Homilia 83 in Matth., n. 4 : « Quoniam ille dixit (Christus) *Hoc est corpus meum*, obtemperemus, credamus.... Quot sunt qui modo dicunt : Vellem ejus formam, typum, vestimenta, calceamenta videre? Ecce ipsum vides (in Eucharistia), ipsum tangis, ipsum comedis. Et paulo post : Cogita quantum adeptus sis honorem, qua frueris mensa. Quod angeli tremunt vident.... eo nos alimur, huic commiscemur factique sumus Christi unum corpus et una caro. »

S. Aug., Sermone 132 de Verbis Evang. Joan., dicit : « Qui jam manducant carnem Domini et bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducant et bibant; ne, sicut dicit Apostolus, *judicium sibi manducant et bibant.* »

Sexto sæculo, S. Cæsarius Arelatensis, anno 542 vita functus, Homilia 7 de Paschate 5, ait loquens de sacramento corporis et sanguinis Christi : « Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus impo- nuntur, antequam invocatione sancti nominis consecren-